

à patre donati indicat, de quo Genes 33. 19 & 48. 22. Ioh. 24. 32. Ioh. 4. 5. Act. 7. 16. AD LOCVM SECHEM. Videtur ciuitas ipsa tunc nondum fuisse, quia non dicit ad Sechem, sed ad locum Sechem. Sed potest de territorio Sechem intelligi, in quod venit Abram: urbem forte non ingrediens, quæ, notante Eucherio, à Sichem filio Hemor nomen accepit. Porro Charræ à Sechem recto itinere, ex Septentrione versus Austrum occiduum pergendo, distant plus minus 100. mill. German. Laboriosa igitur & sumtuosa fuit profectio cum tot impedimentis. Itineris itaq; longinquitas fidem & obediētiam Abrami cōmendat.

Additur gemina loci descriptio: vna à situ: *vsque ad quercum Moreh*: Putant fuisse quercetum celebre. LXX. de vna quercu excelsa interpretantur. *איל מור* quercus est, ab *איל* fortem esse, à robore. Significat etiam planiciem: & sic Onkelos, & nostri interpretes. Pagninus hic *quercum*

*Deut. 11. 30. Moreh*: alibi *campestris Moreh* reddit. Videtur secundum hos planissimus campus fuisse circa Sechem: quem vetus Latina vocat *conuallem illustrem*. *Moreh* autē nomen fuit vel possessoris, vel viri illustris, à quo appellationē accepit: sicut *planicies Mamre*, à Mamre confœderato Abrahami, Genes. 14. 13. postea dicta *Hebron*, Gen. 23. 19. Altera notatio est ab incolarum gente: *Cananeus tunc erat in terra*, id est, posteri Canaan, homines æque profani & idololatræ, atque erant Babylonii, à quibus exierat Abram. Aliquando est nomen proprium certæ gentis: aliquando commune populorum omnium, qui terram promissam incoluerunt, vt ex sequentibus liquet. Inferitur hæc notatio, vt sciamus, terram Abramo promissam fuisse tunc possessam ab aliis incolis, & quidem impiissimis: vnde, quantam rursus luctam Abrami fides hic subierit, cogitare est, cum videret, se in ea terra, ad quam quasi ad beatam stationem à Deo cuo-

cabatur, reperisse homines æque impios & truculentos, atque domi reliquerat, & fugiendo fumum quasi in ignem incidisse. Ne vero etiam hoc scandalo percelleretur grauius, effecit sequens apparitio.

SEXTA circumstantia est apparitio Dei, & noua promissio: *Apparuit autem Dominus Abramo, dixitq;: Semini tuo dabo terram hanc*. Et si prius locutus erat Deus Abramo; nunc tamen primo ei apparuisse legitur. Visibili specie, an tantum intellectuali, an in somno, non additur. Iam 100. miliaria maximo sudore & sumptu confecerat Charris Sechem vsque; nec dum meta apparebat. Adest ergo Deus *ὡς ἀπὸ μυχῶν* iubens eum pedem sistere, & ostendens, se tempestiue suis adesse. Erigit eum noua promissione; Varias benedictionum formas prius ei promiserat. Nunc addit nouum beneficium, promittens ei terram Canaan mancipio donandam, quasi dicat, *Ecce hæc est illa terra, quam me tibi monstraturum promisi; circumspice, & perlustra, quantum potes. Hanc dabo semini tuo possidendam iure hæreditario expulsis Cananæis. Non dicit, tibi: sed semini tuo*. Rursus de semine multiplicando eum confirmat. Nam ad possidendam regionem tam amplam numerosa posteritas Abrami requirebatur. Attamen fidem eius in futurum suspendit, ne se iam esse defunctum laboribus cogitet; & paulo post promissionem hanc demum post 400. annos implendam esse docebit, cap. 15. 13.

SEPTIMA circumstantia est, altare constructum ab Abramo; *Et edificauit ibi altare Iehouæ; ibi, inquit, vbi apparuerat ei Iehoua ad quercum Moreh prope Sechem, edificauit altare, non quasi trophæum, sed cultus diuini causa, vt ibi, vbi præsentem Deum audiuerat, & in spem nouam terræ illius olim obtinendæ oraculo singulari erectus fuerat, solēniritu Deo gratias ageret, offerēdo ei sa-*